

EX DOCTRINA
DE
VENATIONE
CAPITA QVAEDAM
PRAESIDE

ERNESTO MARTINO CHLADENIO D.

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A
CONSILIIS AVLAE AC IVSTITIAE DECRETALIVM PROFES-
SORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO ET
SENIORE EIVSDEMQUE H. T. DECANO CONSISTORII EC-
CLESIASTICI DIRECTORE CVRIAЕ PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

D. VII. MAII A. R. S. CICDCCCLXVII

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICE VENTILANDA

PROPOONIT

IOANNES GOTTLIEB VNTEVTSCH

WEIDA - VARISCUS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS



DE

VENATIONE

I



AM late patet RES VENATORIA, ut
fere per omnes artis nostrae partes illa
se diffundat. Etenim non modo IURIS
CIVILIS et FEVDALIS, sed etiam reliquo-
rum iurium est obiectum. Ius CANONICVM,
uti odio habet uenationem, non tantum ARE-
NARIAM et OPPRESSIVAM, sed etiam SAL-
TVOSAM, ita praesertim turpe dicit, clericum
cum uenabulo et cinctum canibus conspici, id-
eoque serio hoc agit, ut clerum ab exercitio ue-
nationis arceat, propositis grauissimis poenis,
quibus plectendus uenator clericus. Ius PV-

A 2

BLICVM,

BLICVM, praeter cetera illustria argumenta,
in doctrina de muneribus Palatinis exponit of-
ficium VENATORVM IMPERII, *derer Reichs
Iaegermeister*, et praecipue SVPREMI VENA-
TORIS IMPERII, *des Roemischen Reichs Obri-
sten Iaegermeisters*, quae dignitas Landgrauii
Thuringiae et Marchionibus Misniæ ab Impe-
ratore CAROLO IV. anno 1350 collata, et
postea tum ab Imperatore LEOPOLDO anno
1661. tum etiam a JOSEPHO I. anno 1708 reno-
uata et confirmata est. Huc etiam referendae
materiae de syluis Imperii, *denen Reichs For-
sten*, de Iudicio Caesareo-Forestali Norico, de
comitibus syluarum et forestorum Imperii,
aliaeque similes. Deinde nec ius CRIMINA-
LE expers est rei uenatoriae. Hoc enim pro-
spicit, ut ferae tutae praestentur ab ausu feripe-
tarum, propositis poenis uariis, pro uarietate
tum syluarum, tum ferarum. Denique etiam
Ius MILITARE rem uenatoriam curat. Ni-
mirum leges militares, non nostræ tantum
patriæ,

patriae, sed etiam exterarum provinciarum, ne milites feris insidentur, serio cauent, et insidiantibus grauissimas poenas minantur.

II

MULTO PERE dissentunt Doctores in explicanda quaestione, an, si iurisdictio utraque, superior et inferior, Vasallo concessa, uenatio comprehendatur. In affirmantem sententiam procluis est HENRICVS A ROSENTHAL *in Tract. Iur. Feud. Cap. V. Concl. 94. n. 8.* qui docet, iurisdictioni in dubio cohaerere uenationem. Eadem sententiae fauere uidetur SCHILTERVS *Exerc. IV. s. 18.* et, teste BERGERO *in Oecon. Iur. Lib. 2. Tit. 2. s. 8. n. 5.* itemque HOMBORGIO *Respons. Helmstad. Consil. 289. n. 10.* eadem quandoque obtinuit in Dicasteriis. Alii contra negatiuae subscribunt. Conf. HVLD. AB EYBEN *in Diff. de Iure uenandi s. 14. in Opp. eius pag. 788.* et STRYKIVS *in Responso,* quod recenset AHASV. FRITSCHIVS *in Corp. Iuris Venatorio Forestalis Part.*

A 3

II

II. pag. 905. his praesertim uerbis: *welches aber
mahlſ dadurch bekraeftiget wird, daß, secun-
dum communem opinionem ab initio superio-
ris seculi receptam, die Iagden mit der Iurisdi-
ction ihre bestaendige Connexitaet gehabt, wie sol-
ches attestiret KNIPSCHILT de Ciuit. Imp.
Lib. 2. c. 7. n. 6. SEBAST. MEDIC. de Venat. qu. 2.
p. 2. n. 4. ZASIVS Vol. 2. Consil. 6. daher auch
ob amissam iurisdictionem ad amissum ius ue-
nandi ein Schluß gemacht worden; Ob nun
gleich diese Sententia heut zu Tage nicht approbi-
ret wird, sondern Iagden und Gerichte voellig
unterschieden bleiben etc. Et hanc quidem sen-
tentiam negantem analogiae iuris conuenire
defendemus in conflictu.*

III

EXPEDITVM quidem est, concessionem
uenationis MINORIS ad MAIOREM uenatio-
nem extendi non posse, nec, si uenatio simpli-
citer concessa, maiorem simul concessam uide-
ri, sed saltem MINOREM intelligi. Hoc ta-
men

men dubitari potest, et dubitatum fuit, anne inuestito mit der hoben Iagd, nulla MINORIS mentione facta, tacite simul concessa uideatur
VENATIO MINOR. At dubitationem uincit regula, quam in interpretandis priuilegiis et aliis concessionibus, quae regalia concernunt, sequimur, nimirum quod a specie regalis ad aliam speciem argumentum duci tuto nequeat, sed tantum concessum uideatur, quantum in concessione expressum. Confer. LEVCHTII
Consil. Altdorff. Vol. II. Resp. 44. num. 32. et 33.

IV

VENATIONEM ferarum tribus his classibus absolui, maiori, media et minori, communis fere est doctrina, neque illa in Saxonia suo fundamento destituitur. In ipsis enim legibus uenatoriis, in Saxonia promulgatis, et praecipue in MANDATO REGIO de anno 1717. non solum haec diuisio expresse probatur, sed etiam, quae animalia ad quamlibet classem referenda, nominatim exprimitur. At recentiori aetate acceſſit

sit quarta classis. Videlicet Phasianis, quibus in allegato MANDATO REGIO locus inter feras primi ordinis assignatus erat, postea cooperunt ab his distingui, eorumque uenatio soli principi est reseruata, ita ut ea nec his, quibus uenatio maior concessa, permittatur, nisi concessio nem specialem impetraverint. Audias uerba MANDATI REGII die Aussetz- Heeg- und Schieß auch Fangung derer Fasane betreffend d. d. 7. Mart. 1741. §. 10. dieweil Unsere gnaedigste Intention hauptsaechlich dabin mit gebet, daß ohne besondere von Uns oder Unsern Herrn Vorfahren an der Chur erhaltene Fasanerie Concessiones niemanden, wer der auch sey, erlaubet, eigenmaechtiger Weise Fasanerien anzulegen, am allerwenigsten Fasane schießen oder fangen zu lassen, wenn gleich ein oder andere mit der Hohen- Mittel- oder Nieder- Jagd ausdrücklich belieben, So befehlen Wir etc. Copiosus de hoc argumento, ut de reliquis Phasiani praerogatiuis, dictum est in Diff. PRAESIDIS de Iure Phasianorum eorumque Banno, de anno 1752.

CLERICI nomine et officio indignam rem esse uenationem, iterum iterumque inculcant canones et decreta Pontificum, quibus nouam auctoritatem dedit Concilium Tridentinum *Seſſ.*
24. c. 12. Certe sat fundamenti haberet haec doctrina, si ea uel sola hac ratione niteretur, quod clericus, uagando per sylvas, facile fraudem faciat curae animarum et sacrorum, cui totus uacare debet. Sed aliam, eamque duplicem, rationem, suggerunt *c. 11. Dift. 86. et c. 1. Dift. 34.* Altera his uerbis exprimitur: *Eſau uenator erat, quoniam peccator erat.* Hoc autem argumento nihil absurdius esse iudicauit BOEHMERVS in *Iure Eccles. Prot. Lib. V. Tit. 23. ſ. 4.* Altera: *uenatorem nunquam legimus sanctum.* Sed neque hanc rationem aliquid ponderis habere, quisque facile intelliget. Maxime uero illa fallere uideatur inde ab eo tempore, quo exercitatissimi uenatores, EVSTACHIUS et HVBERTVS, coeuti Sanctorum adscripti sunt, et rei uenatoriae

B

patroni

patroni et tutelares haberi coeperunt. De utroque hoc uenatore sancto uid. IO. PETR. DE LUDEWIG *in Diff. de Venatu eiusque regali Diff.* 7. pag. 59. et 65.

VI

VENATIONE concessa, concedenti non competere IUS CONVENANDI, sed illam priuatiue et abdicatiue uideri concessam, praecidio firmat BERGERVS Elect. *Discept. For. Part. II. pag. 1960.* Et uere haec sententia suum robur habet. Attamen illa quodammodo uideatur limitanda. Sine dubio ea obtinet, si uenatio iure FEVDI uel VSVSFRVCTVS concessa. Secus uero, si iure PRECARII uel FAMILIARI TATIS. Imo quoque manifestum est, eam uim suam perdere, si cuius regionis mos ita fert, ut domino territorii simpliciter competit ius conuenandi, quounque demum titulo concessum sit ius uenandi. Conf. HERTIVS *in Diff. de Superioritate territoriali s. 41. in Opusc. Tom. II. p. 304.* et GOTH. CHRIST. LEISERVVS *Iur. Georg. Lib. 3. cap. 12. n. 70.*

VII

VII

VIVARIIS continere greges ferarū nūarii generis, ibidemque uenationem obire, et olim, iam inde ab antiquissimo tempore, Principum delicium fuit, et nūc est. Priuatos etiam quondam uiuaria in fundis suis libere instituisse, antiquitas testatur. Sed, ex quo tempore uenatio regalibus accenseri consueuit, simul haec libertas ita coepit restringi, ut plerorumque Doctorum consensus sit, priuatis, sylvas uenatorias mumentis cingere, absque Principis concessione, non licere, quod argumentum tractat B. CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIUS in *Diss. de Iure Viuariorum* s. 13. et plenius in Programmate, quod eidem Dissertationi adiectum est. Quid uero, si Vasallus, in cuius fundo feudali uiuarium feris instructum habetur, decedat? an hoc cum grege ferarum cedet successori feudali, an uero allodiali? Neutrum simpliciter affirmari potest. At, si quaeras, cui cedat uiuarium, et cui coetus ferarum, quae illo continentur? tutius affirmatur, illud cum fundo feudali ad successorem feudalem, hunc uero ad allodii heredem transire.

VIII



ARENARIA uenatio, quam etiam AMPHITHEATRALEM dicunt, non modo antiquitatis, sed etiam iurisprudentiae utriusque, est obiectum. Ius Canonicum illam uocat artem nequissimam, et non modo agentes, sed etiam spectantes, grauissimi peccati reos pronunciat, c. 8. 9. et 10. *Difst.* 86. Ius Romanum uero eos, qui uenatorium ludum pro mercede exercent in arena, infamiae nota dignos, ideoque a postulando remouendos esse decernit, *L. 1. s. 6. de Postulando et L. 2. s. 5. de his, qui notantur infamia.* Tum Imperator ALEXANDER in *L. n. C. de inoff. Testam.* patri, qui non ipse arenarius, concedit potestatem exheredandi filium, arenariae uenationi deditum, addita ratione: *nam talem filium merito quis INDIGNVM sua successione iudicat.* Eandemque exheredationis causam repetit IVSTINIANVS in *Nou. n5. cap. 3. s. 4.* De iis, qui ad LVDVM VENATORIVM damnati, uid. *L. 8. s. 11. et 12. de Poenis.*




ULB Halle

005 361 745

3







EX DOCTRINA
DE
V E N A T I O N E
C A P I T A Q V A E D A M
P R A E S I D E

ERNESTO MARTINO CHLADENIO D.

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A
CONSILIIS AVLAE AC IVSTITIAE DECRETALIVM PROFES-
SORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO ET
SENIORE EIVSDEMQUE H. T. DECANO CONSISTORII EC-
CLESIASTICI DIRECTORE CVRIAЕ PROVINCIALIS
ET SCABINATVS ASSESSORE

D. VII. MAII A. R. S. C I C I O C C L X V I I

I N A V D I T O R I O M A I O R I

P V B L I C E V E N T I L A N D A

P R O P O N I T

JOANNES GOTTLIEB VNTEVTSCH
WEIDA - VARISCUS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS